RECTOR

COMMILITONIBVS

CERTAMINA ERVDITIONIS

PROPOSITIS PRAEMIIS

IN ANNVM MDCCCXLII

1842

INDICIT.

Hermann G.

Praemissa est dissertatio de L. Attii libris Didascalicon.

LIPSIAE

TYPIS STARITZII, TYPOGR. ACAD.

Io. Nicolaum Madvigium in ea dissertatione, quam de L. Attii poetae Didascalicis scripsit, quae est in eius Opusculis p. 87. seqq. ita existimare video, fuisse istos Didascalicon libros prosa oratione conscriptos. Id quum argumenti ratione exemplisque Graecorum, quos imitatus sit Attius, tum apertissime fragmentis libri noni confirmari putat. Ego quidem, quamquam haec veri similia esse intelligo, tamen an vera sint dubito vehementer. Nam quod ad argumentum istorum attinet librorum, fateor quidem convenientius pedestri sermoni quam poesi esse: sed tamen eiusdem poetae libros pragmaticos, quos in simili argumento versatos esse censet Madvigius, ipse concedit versibus scriptos fuisse, affertque haec eorum fragmenta: apud Nonium in *perperos* p. 150.

Ét eo plectuntúr poetae quám suo vitio saépius,
Aút ductabilitáte nimia véstra aut perperitúdine.

Sic hi versus scribendi sunt, addito in alterius principio *aut:* nam quod vir doctissimus putabat, *ductabilitate* tertia syllaba producta dictum esse, non debebat ei in mentem venire. Apud eundem Nonium ibidem:

describere in theatro pérperos
Pópularis.

Et in *ponderitatem* p. 156. quod ex probabili emendatione Madvigii sic scriptum

et cúncta fieri cétera
Ímbecilla ob pónderitatem grávitatemque nóminis.

Apud Nonium *hominis* legitur et *non quod* pro *ob*. Denique apud Gellium XX. 3. de sicinnistis,

nebuloso nómine.

Alia quoque eiusdem poetae scripta, quorum inscriptiones alienissimae a poesi sunt, versibus videntur scripta fuisse. Nominavit Parerga Madvigius, mentionem faciens fragmenti corruptissimi, quod apud Nonium

in *porcas* p. 65. servatum sit, sed non adscripsit verba, quae Nonius ex libro primo sic scripta affert: *bene proscissas cossigerare ordine porcas, bidenti ferro rectas dereuere.* In vetustioribus editionibus legitur *bene prosi salcos sigerare.* Videntur haec numeris trochaicis sic scribenda esse:

béne proscissos súlcos signare órdine,
Et porcas bidénti sulco réctas deruere.

Nec quod ex Plinio affert Madvigius aliis crediderim numeris fuisse, qui in H. N. XVIII. 55, 200. sic scribit: *adiecit iis Attius in Praxidico, ut sereretur, quum luna esset in Ariete, Geminis, Leone, Libra, Aquario.* Sponte enim se talis scriptura offert:

sérere, quum est
Lúna in Arieté, Geminis, Leóne, Libra, Aquário.

Adscribuntur Attio etiam Annales, qui scripti fuerunt versibus heroicis. Quid igitur, si ne Didascalica quidem prosam orationem habuerunt? Certe quod Cicero in Bruto posuit c. 18, 72. *Attius autem a Q. Maximo quintum consule captum Tarento scripsit Livium annis XXX post quam eum fabulam docuisse et Atticus scribit et nos in antiquis commentariis invenimus*, et c. 64, 229. *Attius iisdem aedilibus ait se et Pacuvium docuisse fabulam, quum ille octoginta, ipse triginta annos natus esset*, etsi tam diligens notatio annorum sane aliena a poesi est, tamen non habet quo non potuerit inseri carmini non magni spiritus, atque, ut videtur, si metrum demas, vix a prosa oratione diverso. Neque vero obstant haec apud Gellium III. 3. quae ex Didascalicis sumpta putantur: *M. autem Varro in libro de comoediis Plautinis primo Attii verba haec ponit: nam nec Gemini nec Leones nec Condalium nec Anus Plauti nec Bis compressa nec Boeotia umquam fuit, neque adeo Ἄγροικος neque Commorientes, sed M. Aquilii:* in quibus praeter vitiosa verba *Gemini nec Leones*, quibus Lenones geminos, quae fabula Plauto tribuebatur, dici intellexerunt interpretes, etiam M. Aquilii nomen positum est ab iis, qui paullo ante in isto Gellii capite legissent Boeotiam Aquilii esse dici. Libri enim in ipsis Attii verbis *actu* et *M.*

Hatrutici et *M. Accii Titi* habent: apud Varronem autem de L. L. VI. p. 266. ed. Speng. (p. 110. ed. Müll.) legitur: *accensum solitum ciere Boeotia ostendit, quam comoediam Alii esse dicunt.* Id fuerunt qui *M. Attilii* scribendum putarent, quem Vulcatius Sedigitus apud Gellium XV. 24. in poetis comicis numerat. Alii praetulerunt Gellio auctore Aquilium. Quae omnia quum incertissima sint, ignotique poetae nomen latere videatur, suspicari certe licebit Varronem scripsisse: *quam comoediam M. Titi esse dicunt.* Quod si fuit aliquis illo tempore Titius, qui comoedias scriberet, facile Attii versus sic poterunt restitui:

Námque nec Geminí lenones, néc Condalium, nón Anus
Plaúti, nec Bis cómpressa aut Boeótia eius umquám fuit,
Néque adeo Agroecús, neque Commoriéntes, sed Marci Titi.

Videamus vero fragmenta quae distincte ex Didascalicis afferuntur. Et quod ex libro primo excerpsit Nonius in *mactare* p. 341. ut positura verborum poeticam orationem prodit sic plane praebet numeros trochaicos:

sapientiaéque invictae grátia
Átque honoris pátera Nestorém mactavit aúrea.

Alterum ex eodem libro apud eundem grammaticum in *inimiciter* p. 514. ut eosdem numeros habere ostendam, addam *se* et *ait:*

sé placare hostém ferocem inimíciterque accénsum ait.

Item tertium, si additur *que* apud Priscianum VI. p. 709. (vol. I. p. 264. ed. Krehl.)

fálsidica, audax, gnáti mater péssimi,
Ódibilis, natúraque impos, éxcors et fera.

Ab his valde discrepat, quod Gellius scribit III. 11. *Attius autem in primo Didascalicon levibus admodum argumentis utitur, per quae ostendit Hesiodum natu priorem. Quod Homerus, inquit, quum in principio carminis Achillem esse filium Pelei diceret, quis esset Peleus non addidit: quam rem procul, inquit, dubio dixisset, nisi ab Hesiodo iam dictum videret. De Cyclope itidem, inquit, vel maxime*

quod unoculus fuit, rem tam insignem non praeterisset, nisi aeque prioris Hesiodi carminibus invulgatum esset. Non miror, quod his potissimum verbis adductus est Madvigius, ut prosa oratione hos libros ab Attio scriptos putaret. Me quidem haec non magnopere movent Non enim hoc verbum *inquit*, quo usus est Gellius, indicio est ipsa eum verba Attii rettulisse. Usurpat enim hoc verbum etiam ubi suis verbis in afferendis scriptorum sententiis utitur: sic I. 3. saepius, et III. 5. VI. 1. 2. atque aliis locis. Quin ne opus quidem est ut eum quae ab Attio dicta esse scripsit non ipsis propemodum Attii verbis enuntiasse credamus, quum sponte se offerre videantur numeri trochaici:

Achillem quum ín principio cárminis
Pélei esse díxit, non quis ésset Peleus áddidit:
Quód procul dubió dixisset, nisi id *ab Hesiodo* satis
Iám dictum vidéret.
Dé Cyclope itidém vel maximé quod unoculús fuit,
Rém tam insignem haud praéterisset, nísi prioris aéquiter
Hésiodi carmínibus vulgatum ésset.

Porro apud Nonium ex secundo libro in *redhostit* p. 165. quod vitiose scriptum est, *ut dum velint brevitatem consequi verborum, aliter ac sit relatum redhostire sponsum,* ubi edd. Iunianae *ac sit* omittunt emendandum videtur hoc modo:

ut, dum velínt brevitatem cónsequi
Vérborum, aliter, ác relatum résponsum est, redhóstiant.

Eam loquendi formam ex Cicerone affert Nonius in *relatum* p. 380. *videbimus, quum legati responsa rettulerint.* Nec certum prosae orationis signum praebent ex eodem libro allata ab Nonio verba in *temerius* p. 178. *sed Euripides qui choros temerius in fabulis:* quae quis ausit contendere non sic scripta fuisse:

sed enim Eurípides,
Quí choros temérius in suis fábulis?

Non magis refragabitur octavi libri fragmentum servatum ab Nonio in

balteus, quod non exstat in editionibus vetustissimis, p. 194. *auctoribus manuleos*, *baltea*, *machaeras*, si sic scribetur:

actoribús manuleas, *báltea*,
Ét machaeras.

Manuleas Schellero auctore scribendum monuit Madvigius: sed quod idem in exemplari Universitatis Havniensis adscriptum ait, *ductoribus*, ei argumentum Attii librorum monet ut praeferamus, quod in edd. Iunianis est, *actoribus.* Suspectum habeo ex nono libro testimonium Charisii p. 114. Attium in illis numerantis qui *poematorum* dixerint: *nam quam varia sint genera poematorum*, *Baebi*, *quamque longe distincta ab aliis*, *nosce:* in quibus quod Madvigius scribendum coniecit, *alia ab aliis*, confirmavit codex MS. Nam si non *poematorum*, sed *poematum* scripsit Attius, solo *sint* transposito habemus numeros trochaicos. Si scripsit autem *poematorum*, sic ordinanda erunt verba:

nam quám poematórum varia génera sint,
Baébi, *quamque lónge distincta ália ab aliis nósce* nunc.

Nec repugnant haec apud eumdem Charisium p. 195. ex eodem libro, *vectigalia legerant vestra et servantur statim*, siquidem sic scribenda videntur:

vectigália
Légerant vestra ét servabantúr statim.

Postremum fragmentum Didascalicon ex eodem libro petitum servavit Priscianus p. 603.

magnificissimi
Éxcelsissimique honore,

cuius varias in codicibus depravationes adnotavit Krehlius p. 112. et in addendis vol. II. p. 315.

Haec si non sine probabilitate disputasse videbor, tantum abest ut prosa oratione quidquam ab Attio scriptum fuisse evinci possit, ut etiam Didascalicorum libros scripsisse putandus sit versibus, eosque trochaicis totos, quoniam nullum alius metri certum vestigium apparet.

Propositae vobis sunt, Commilitones carissimi, quaestiones, quibus Latina scriptione exp licandis de praemio L. Ioachimicorum certaretis haec.

Ab Ordine Theologorum:

Disseratur de notione libertatis philosophice et biblice explicanda.

Ab Ordine Iurisconsultorum:

Disputetur de discrimine inter ius civile et aedilicium circa officium venditoris vitia rei venditae latentia praestandi.

Ab Ordine Medicorum:

Exponatur de aquae frigidae in corpus sanum vi et efficacia.

Ab Ordinis Philosophorum singulis classibus:

I. *Quoniam e gentibus Romanorum patriciis Claudiam plebi infestissimam, Valeriam vero popularem fuisse memoriae traditum est, harum gentium historia ita enarretur, ut quod inde a primis consulibus effecerint partium diversarum studium, id secundum status publici Romanorum vicissitudines in medio ponatur.*

II. *Quum variae fuerint et nunc sint philosophorum de libertate voluntatis sententiae, gravissimae ex his sententiis explicentur et pro earum relatione ad quaestiones metaphysicas psychologicas et ethicas, praesertim ad notionem imputationis et moralis et iuridicae, sub examen criticum vocentur.*

III. *Disseratur de lineis curvis sectionibus coni similibus in superficie sphaerae describendis.*

Horum argumentorum expositione qui certare voluerint, curabunt, ut dissertationes sine nominum subscriptione tessera aliqua notatae, nomina autem obsignata, eademque tessera insignita, ante Calendas Octobres ad Decanos Ordinum deferantur, quo, qui praemio digni iudicati fuerint, ab Rectore magistratu se abdicante publice renuntiari possint.

P. P. D. XIX. Decembr. a. MDCCCXLI.